Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 239
Quelle:
Copyright:

ſter anno 1437. cum *Joh. de Przibram* Legatus Univerſit. *Pragenae* ad Concilium declaratur, exhibet *Cochlaeus Hiſt. Huſſit.* L. VIII. p. 306. In eo *S. Henrici nouæ ciuitatis Parochialis Eccleſiæ Rector* audit. Injungitur illis inter alia: *Scripturas atque autoritates pro communione Paruulorum proponent in ſacro Concilio.* Atque en id a *Procopio* praeſtitum! Sed denegata a Concilio Petitio cauſſante, Communionem Parvulorum per Compactata expreſſe excluſam fuiſſe. Ita *Cochlaeus cit.* p. 311. De *Procopio* ceterum *Balbini Bohemia docta* P. II. p. 186.

IV. *fol.* 23. *De vtilitatibus corporis et ſanguinis chriſti ſub vtraque ſpecie.* Congeries Argumentorum e S. Literis et Doctoribus pro Communione ſub utraque, hoc initio: *Corde credendum eſt ad iuſticiam et ore confitendum ad ſalutem* &c. Non indicatur Autor.

V. *fol.* 28. p. 2. *De Communione Paruulorum Notabilia.* Initium: *Hebr. XIII°. Doctrinis varijs et peregrinis nolite abduci* &c. Mox ad ingreſſum Adverſarii Canibus comparantur.

VI. *fol.* 31. *Anno domini M°. CCCC°. XLVIII°. poſt Trinitatis. Iſta ſunt nuper immediate poſt exitum legati concluſa in plena congregatione Cleri Pragenſis in Collegio Karoli. et ſingulorum vocibus et conſenſu roborata. ita ut ſi quis contra hec predicaret. uel dogmatiſaret. tanquam inimicus et publicus perturbator pacis ab omnibus habeatur et ab vrbe excludatur.* Cardinalis S. *Angeli Joh. Carvajalius* feria 3. poſt Trinit. 22. *Maji Praga* diſceſſit nullo dato Reſponſo ſatisfaciente circa ea, quae cum Legatis *Bohemicis Baſileae* compactata fuere. Hic itaque ſequuntur VI. *Articuli,* quibus obſervantia Compactatorum et uſus Communionis ſub utraque Specie praecipitur, Praedicationesque contrariae aut Impugnationes prohibentur.

VII. *fol. eod.* lingua *Bohemica* Statutum Baronum et Communitatum de obſervandis *Compactatis* duraturum usque ad electionem novi Regis, ſub auſpiciis *Georgii de Kunſtat et Podiebrad,* cui omnes adſiſtere jubentur. Locus *Montes Cuthni* ſive *Kutenberga,* unde *Georgius* deinceps contra *Menhardum de Nova Domo* Capitaneum *Pragenſem* movit menſe Septembri 1448. Titulus lat. *Sequitur Proſcriptio dominorum et Communitatum.* Initium boh. *Pani Zemene v Mieſta vbory Cuthni. Naden ſwatebo Jana krzitele nynie na Sniem ſebrani* &c. Atque ex hinc *Podiebradi* fortuna ſe tollere coepit.

VIII. *fol.* 35. *Tractatus contra communionem.* Ita quidem Inſcriptio, ſed praecipuus Tractatus ſcopus eſt adſertio unitatis Eccleſiae et autoritatis Sedis Apoſtolicae contra Schiſmata, in qua non niſi ἐν παροδῷ neceſſitas Communionis ſub Utraque impugnatur, quemadmodum et civile Cleri Dominium defenditur. Initium eſt: *Criſtus Jheſus dei patris om-*